

defraudari, at universa sic aggreduntur hominem, obsident et fatigant, ut ab eo consensum certissime obtineant : ita THOMASSINUS.

\* 374. *Dico I.* Ad efficaciam gratiae necessaria est congruitas, stans in habitudine auxilii *ad eventum*; non tamen sufficit.

Ratio primi est; tum quia sicut gratia efficax in *actu secundo* dicit habitudinem ad consensum actualem, sic efficax in *actu primo* debet dicere habitudinem ad consensum futurum: tum quia sine hac habitudine non esset stricte, speciatim et proprie efficax, sed tantum generatim et latius, et solum intelligeretur gratia sufficiens.

Ratio secundi; tum quia ex sola ista habitudine, prout vel in entitate gratiae, vel in voluntate, libera consensus causa, fundatur, non intelligitur aut existit gratia effectum *infallibiliter* habitura; cum gratiae entitas possit conjungi cum dissensu, et voluntas libere ac contingenter sit consensu: tum quia alias proprie loquendo discriben, quod inter gratiam sufficientem et efficacem intercedit, teneret se duntaxat ex parte *actus secundi*, non vero *primi*; quod apud plerosque etiam nostros male audit, et pro Societate nostra tum a Claudio Aquaviva an. 1613., tum a Mutio Vitelleschi an. 1616. improbatum est, et doceri prohibitum.

375. *Dico II.* Ad eamdem efficaciam necessaria est congruitas, stans in *attemperatione auxiliu* cum homine ejusque affectionibus; non quidem, ut ea attemperatio praeceps enuntiat proportionem auxilii ad personam et ejus circumstantias sive intrinsecas, sive extrinsecas; sed prout ea simul connotat eventum; quamvis nec sic accepta sufficiat.

Ratio primi est; quia de hac congruitate intelligentus est textus AUGUSTINI num. 373. recitatus, ut ostendunt tum ipsa verba, tum contextus aliaeque testimonia.

Ratio secundi est; tum quia gratia potest sortiri suum effectum independenter a quocumque loco, tempore, et aliis circumstantiis; ut testatur AUG. in Ench. scribens: *Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere*; et PROSP. in Carm. de Ingratis c. 16. canens:

At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,  
Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi  
Semper adest, quae gesta velit: non moribus illi  
Fit mora, nec causis anceps suspenditur illi:

tum quia in gratia mere sufficiente potest esse eadem, imo major congruitas ad personam et circumstantias praeceps considerata, quam in efficaci, quin tamen sequatur effectus; et e contra minor congruitas ejusmodi deprehensa subinde fuerit in gratia efficaci, qualis fuisse videtur, que cor *Assueri* transluit in mansuetudinem, mulierem *peccatricem* Luc. 7. convertit, et *Saulum* minarum et cedis in discipulos Christi spirantem subito immutavit.

Accedit, quod sine congruitate hujusmodi speciali ex sola libertate creata satis intelligi ac fieri queat, cur idem homo in iisdem circumstantiis uni gratiae consentiat, et alteri etiam numero tantum distincte dissentiat.

Ratio tertii patet tum ex num. priore, tum ex verbis AUG. in notamine

laudatis, ubi congruitas sub respectu *ad eventum* semper proponitur; secundum quem loquendi modum alia explicanda sunt, ubi ille respectus aperte non exprimitur. Id ipsum declarat SUAREZ L. 5. de gr. c. 52. Accedit testimonium S. AUG. L. 12. de Civ. c. 6. perseverantiam in bono unius praeterea ad libertatem referentis: *Si enim aliqui duo aequaliter affecti animo et corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse causae, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?..... Si eadem tentatione ambo tententur, et unus ei cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat perseveret; quid aliud appareat, nisi unum voluisse, et alterum noluisse a castitate desicere?*

Ratio quarti est; tum quia entitas gratiae in actu primo efficacis conjungi potest cum dissensu, seu gratia haec ex natura sua est repudiabilis; tum quia nec ex proportione solitaria ad voluntatem ejusque affectiones, nec ex habitudine ad eventum habetur infallibilitas.

376. *Dico III.* Ad efficaciam gratiae universim explicandam prorsus insufficiens est congruitas, stans in *multitudine et consonantia plurium auxiliorum*.

Ratio est; quia sequeretur 1<sup>o</sup>. gratiam primam *Angelis, Adamo*, reliquisque postea hominibus datam non fuisse, imo nec esse potuisse efficacem: 2<sup>o</sup>. Nullum dari singulare gratiae auxilium certo ac infallibiliter efficax, omneque auxilium, quod seorsim datur, esse inefficax: 3<sup>o</sup>. Non esse possibilem instantaneam peccatoris obdurati conversionem, aut subitaneum actum virtutis heroicum: sed haec omnia videntur absurdia; partim quod repugnant communi Theologorum sententiæ, et satis etiam manifestæ ex Scriptura et historia Ecclesiastica experientie: partim quod divinæ omnipotentiae aduersentur; ergo.

*Conf.* Quamvis in hoc systemate recte salvetur creati arbitrii *libertas*, et asseri possit infallibilitas gratiae efficacis *vaga* et *indeterminata*, sicut similem necessitatem peccandi ex pluribus temptationibus ortam exposuimus; nequit tamen satis explicari certitudine et *infallibilitas* divinæ providentiae conveniens ac propria.

#### ARTICULUS IV.

##### IN QUONAM STET EFFICACIA GRATIAE, TOTIQUE EJUS OECOMIA?

377. *Nota I.* Tria sunt, quæ in gratia efficaci distinguere oportet; 1<sup>um</sup>. est vis seu *virtus effectiva* consensu: 2<sup>um</sup>. actualis, et formalis ejusdem consensu *effectio* seu productio: 3<sup>um</sup>. *infallibilis connexio* gratiae seu auxilii ipsius cum actuali et formalis consensu effectione. Prius juxta omnes convenit auxilio *per se*, ab intrinseco, et ex vi praeceps sua entitatis physicæ: cum enim gratia etiam in *actu primo* efficax supponatur esse causa propria et per se salutaris consensus, et quidem in suo genere proxima et completa; sequitur omnino virtutem efficiendi essentiali illi esse et *intrinsecam*. Accedit, quod ex dictis gratia sufficiens physicæ consistat in aggregato ex gratiis excitantibus et principiis gratiae adjuvantis, proportionatam et expeditam ad effectum potentiam præstante; adeoque id multo magis gratiae efficaci sit

tribuendum. Alterum habetur ab actione, qua cōsensus salutaris a voluntate et auxilio simul agentibus et efficientibus indivisibiliter dependet. Postremum non provenire ab intrinseco et ab ipsa entitate auxilii, sed ab alio et extrinseco, hactenus ostensum est, in eoque convenienti nostri omnes.

378. *Nota II.* Porro observandum : 1º. Distingui posse triplicem infallibilitatem; aliam *objectivam*; quae est infallibilitas objecti, vel quatenus hoc est terminus alicujus actionis infallibilis, vel quatenus objectum sic erit necessitate sive antecedente, sive consequente : aliam *formalem cognoscitivam*; quae est infallibilitas ut cognita, vel infallibilitas cognitionis, qua infallibiliter objectum cognoscitur, quale est, aut erit : aliam *formalem affectivam*; quae est infallibilitas ut volita, vel infallibilitas volitionis, qua infallibiliter objectum decernitur, quale est, aut erit.

2º. In gratia efficaci considerari posse, imprimis præcise rationem *efficacia secundum se sumptæ* et sine ullo alio respectu, præterquam ad consensum : deinde rationem *medii providentiae divinae* ad obtinendum infallibiliter consensum : demum rationem specialis beneficii Dei consensum præ disSENSU misericorditer et benevole intendentis.

3º. Gratiam efficacem spectari posse, vel prout præscindit a Deo, qui dat, et a tempore, quo datur : vel prout collata est a Deo in statu naturæ *integre* : vel prout jam datur in statu naturæ *lapsæ*.

379. *Dico I.* Efficacia gratiæ quoad infallibilitatem connexionis *objectivam*, habetur a futuritione conditionata consensus : quoad infallibilitatem *cognoscitivam* a scientia media de consensu sub hypothesi talis auxilii, conditionate futuro : quoad infallibilitatem *affectivam* a decreto Dei dependenter a scientia media prædefinientis consensum, seu conferentis gratiam ex benevola intentione consensu.

*Ratio primi* est ; infallibilitatem *objectivam* haberi ex futuritione conditionata consensu, nihil aliud est, quam ad complexum ex veritate conditionata operationis et positione auxilii haberi infallibilem certitudinem objecti-  
sive consensu. Sed ad hoc complexum sequitur ista certitudo ; quia ex his premissis : *Si Petro detur auxilium A, consentiet : atqui datur illi auxilium A*, sequitur haec consequentia necessaria : *ergo consentiet* ; cum ex veritate conditionali et purificatione conditionis infallibiliter inferatur conditionatum ; ergo.

*Conf.* Consensus futurus *utroque modo* habet infallibilitatem *objectivam* : 1º. quidem, quia est objectum scientiæ mediæ certæ ac infallibilis : 2º. quia est objectum, in quod gratia efficax tendit, et posita gratia determinate est id, quod est, adeo ut necessitate consequente repugnet, esse aliud quid vel dissensum. Sed esse *futurum* habetur a futuritione ; et quod sit *determinate* consensus posita gratia, habetur a veritate conditionali et purificatione conditionis ; ergo.

*Ratio secundi* est ; quia Deus per scientiam medium non tantum infallibiliter *subjective* cognoscit futuritionem consensu sub certo auxilio, sed ipsum etiam *auxilium* constituit in ratione infallibiliter connexioni cum consensu. Nam ex eo, quod Deus per scientiam medium prævideat consensum futurum, si poneretur tale auxilium, eadem certitudine auxilium tale, si

detur, sortietur effectum seu consensum, qua certitudine Deus præscit auxilium fore sortiturum effectum, si daretur ; quia si auxilium in sensu composito *scientiæ mediæ*, cui subest, frustraretur effectu, falleretur ipsa Dei præscientia : sed certitudo, qua Deus hoc per scientiam medium præscit, est infallibilis ; quia Dei scientiam falli absolute repugnat ; ergo ex eo, quod Deus per *scientiam medium* hoc præsciat, auxilium infallibiliter sortietur effectum ; ergo et a scientia media provenit, seu constituitur auxilium in ratione infallibiliter connexioni cum consensu.

*Conf.* Infallibilitas connexionis *cognoscitiva* habetur a cognitione, seu scientia certa et infallibili Dei : sed non habetur a scientia *simplicis intelligentiæ* ; quia haec solum est de possibilibus, non autem futuris, et possibilis duntaxat consensum pro objecto habet : nec habetur a scientia *visionis* ; quia haec decretum Dei absolutum sequitur, cognoscit duntaxat absolute futura, et pro objecto gratiam in actu secundo efficacem habet ; ergo habetur a scientia media.

*Ratio tertii* est ; quia per ejusmodi *decretem prædefiniens* non tantum Deus fit certus ac indubius tum ratione sui affectus, tum ratione consensus, sed ipsum etiam auxilium denominatur infallibiliter connexionum cum consensu. Nam Deus per decretum hoc non solum vult et intendit consensum simpliciter, sed consensum per tale auxilium ; ergo sicut hic infallibilitas consensus habetur a *decreto Dei* absolute et efficaci, utpote quod falli simpliciter repugnat ; sic et infallibilitas connexionis auxilium inter et consensum ab eodem repeti potest : præsertim quia, etiamsi nulla præcessisset veritas conditionalis, nec scientia media de futuro consensu, nihilominus auxilium in statu absoluto, ut subest *illi prædefinitioni*, infallibiliter conne-  
ctetur cum consensu : quod suppositum quāvis impossibile de facto sit, tamen id, quod probandum erat, satis ostendit.

*Conf.* Si Deus auxilium efficax conferret absque eo, quod intenderet consensum et bonum illi, cui auxilium confert ; id daretur a Deo præcise quatenus est *sufficiens* ad consensum salutarem : sed auxilium præcise sub hac ratione collatum nullam dicit *affectivam* infallibilitatem ; utpote qua caret auxilium præcise sufficiens ; ergo sine prædefinitione non habetur infallibilitas affectiva ; ergo ex opposito ab illa haec habetur.

380. *Dico II.* Gratia in *actu primo* efficax præsentis status est gratia adæquate præveniens, entitative quidem indifferens, sed congrua ; quatenus ut substans futuritioni conditionatæ, scientiæ mediæ et prædefinitioni consensu sub ipsa, a Deo datur.

*Explicatur.* Dicitur 1º. *gratia præveniens* ; quæ scilicet sit sancta illustratio intellectus et pia affectio voluntatis ; quia gratia efficax tum ab Apostolo, tum a S. Aug. *vocatio*, a Trid. et aliis Conciliis *pulsatio*, *motio*, *excitatio*, *illuminatio* aut *inspiratio* appellatur.

2º. *Adæquate præveniens* ; quæ scilicet connotet vel præsentia vel parata gratiæ adjuvantis principia, quibus voluntas elevetur et fiat potens ad supernaturaliter operandum ; quia gratia haec complectitur totum *actum primum* ad salutariter operandum, et est causa per se et propria, in suo genere proxima et completa salutaris consensu.

3º. *Entitative indifferens* ; non quasi gratia æque se habeat ex natura sua

ad dissensum et consensum, cum per se solummodo voluntatem ad consensum sollicitet et moveat, minime autem *ad dissensum*, utpote ad quem voluntas contra gratia impulsu[m] movetur a cupiditate vel alia affectione terrena: sed quatenus non habet *ab intrinseco* vim infallibilem, sed duntaxat contingentem, producendi consensum; ita ut, si voluntas consentiat, illa per auxilium excitans *moraliter*, et per adjuvans *physice* influat in consensum; si autem voluntas dissentiat, auxilium excitans frustretur suo effectu, principium vero adjuvantis gratiae plane non agat.

4º. *Congrua*; quia gratia efficax per congruitatem formaliter constituitur, et differt a gratia inefficaci. Quia vero *congruitas* haec neque sufficienter per solam habitudinem ad eventum, neque universim et necessario per attemperationem quamdam specialem, neque probabiliter quidem per multitudinem et consonantiam auxiliorum constitui aut explicari potest; hinc additur

5º. *Quæ ut substans futuritioni conditionatae, scientia media, et prædefinitioni datur*; quia congruitas sic explicata præstat omnia, quæ in prioribus desideravimus; tum quia non ab entitate gratiae, sed *ab extrinseco* petitur: tum quia infallibilem connexionem auxilii cum consensu ostendit; cum hoc ipso, quod gratia sive his quasi formis extraneis sub sit, sive ad eos quasi terminos respectum dicat et actu detur, infallibilitatem tum *objectivam*, tum *cognoscitivam*, tum *affectivam* possideat.

*Probatur*. Gratia efficax modo descripta complectitur omnia predicata, que illi in praesenti lapsæ naturæ statu a *SCRIPTURA*, *CONCILIIS* et *PATRIBUS* tribuuntur. Nam

1º. Debet esse *infallibiliter* connexa cum consensu, et quidem infallibilitate tripli memorata; quia ex dicendis habet infallibilitatem *affectivam*, haec vero dirigitur a *cognoscitiva*, ista autem terminatur ad *objectivam*: sed infallibilitas *objectiva* habetur a futuritione conditionata, cognoscitiva a *scientia media*, affectiva a *prædefinitione*; nec aliunde sive ab entitate auxilii aut absolute, aut respective sumpti, sive a congruitate qualicumque repeti potest; ergo.

2º. Debet posse componi cum *libertate humana*, quia gratia est principium meriti, ad merendum autem et demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur in homine libertas a *necessitate*, nec sufficit libertas a coactione: atqui hoc in nostra sententia fieri potest, non tantum, quia gratia entitas est indifferens, sed tum, quia sicut ipsa futuratio *conditionata*, sic et *scientia media* ad eam terminata, et *prædefinitione* ab hac dependens indirec[t]e saltem impediri potest: tum quia haec omnia non sunt principia ad operationem necessaria, sed *per accidens* tantum et respectu Dei requisita: tum denique, quia his etiam stantibus decretum applicativum omnipotentiae est indifferens.

3º. Debet esse *medium providentiae divinæ*, seu aptum instrumentum, quo Deus non casualiter, sed certo, non cœco modo, sed provide obtineat liberum creaturæ consensum; quia Deus per gratias efficaces maxime erga electos ostendit providentiam supernaturalem: sed per futuritionem conditionatam *remote* et *objective*, per scientiam *proxime* et formaliter id habetur, et Deus fit potens non casualiter, sed certo, non cœco modo, sed provide obtinere liberum creaturæ consensum; ergo.

4º. Debet esse *speciale beneficium* et singulare argumentum Dei miserentis; quia si gratia *mere sufficiens* sit simpliciter materiale et formale beneficium,

gratia efficax saltem in praesenti statu erit materialiter et formaliter majus beneficium; tum quia non est ratio negandi Deo propriam rationem benevolentiae in elargitione gratiae efficacis: tum quia gratia naturæ lapsæ juxta S. AUG. non tantum est *potentior*, sed et *major*, quam illa naturæ integræ: sed non est formale beneficium sine intentione benevolæ conferentis, ut patet in eo, qui, dum metu naufragii sine voluntate favendi inimicis projectit merces, quas videt illis profuturas, non dicitur erga inimicos beneficu[m]: neque est *formaliter major* beneficium sine majore affectu, qui ut sit major, debet esse efficax, ac consequenter *prædefinitio*; cum Deus *affectu inefficaci* in sua linea maximo possit intendere consensum sub auxilio sufficiente, quin tamen hinc magis sit beneficu[m] in dissentientem sub eo auxilio; ergo.

*Infertur* 1º. Discremen inter gratiam actu efficientem et inefficacem desumi quidem ab actu secundo, quo una efficit, secus altera: inter gratiam tamen, quæ simpliciter dicitur efficax, et sufficientem non in actu tantum secundo, sed alterius etiam in actu primo esse positum.

2º. Hoc discremen in *actu primo* non esse *intrinsecum* ipsis entitatibus auxiliorum, aut provenire ex eorum natura vel gradu intensionis; sed esse *extrinsecum*, seu provenire ab *extrinseco*: adeoque denominationem efficacis non esse essentiali et pure *intrinsecam*; sed accidentali, et vel *mere extrinsecam*, si haec denominatio explicetur per *prædefinitionem*, et alia tanquam per formas *extrinsecas*; vel *intrinsecam ab extrinseco*, si per ea tanquam per terminos explicetur, quibus positis in auxilio resultat respectus ad eosdem.

3º. Si gratia efficax consideretur præcise *secundum se*, et accipiatur quomodo cumque posita, distinguitur a sufficiente per solum respectum ad futuritionem conditionatam; quia tunc præscinditur vel non intelligitur substare scientia media ac *prædefinitioni* divinæ, quamvis re ipsa ejusmodi status non sit realis, et nunquam fuerit, aut sit possibilis: si vero consideretur simul ut *medium providentiae divinæ*, aut benevolentiae signum, et prout actu a Deo gratia collata fuit, vel confertur, alios respectus habet adjunctos, ut ex *præmissis* liquet.

4º. Gratia efficax, maxime *perseverantiae* in statu naturæ integræ collata dicebat duplē duntaxat respectum, ad futuritionem nempe conditionatam et scientiam medium, et inde distinguebatur a sufficiente; quia dabatur scientia media tantum *prælucente*, non autem dirigente: dabatur cum prævisione quidem consensu, non autem ex ejusdem intentione et eo affectu, ut, si prævisa fuisset caritura effectu, alia fuisset data; unde et dicitur *relicta* fuisse *libero arbitrio*, et vocatur auxilium sine quo non, non autem quo.

5º. Gratia efficax, quæ de facto datur, triplicem respectum ad memoratos terminos dicit, eoque a sufficiente distinguitur; quia datur etiam dirigente scientia media, ex intentione efficaci consensu et eo affectu, ut alia daretur, si haec prævisa fuisset non habitura consensu; unde dat non tantum posse, sed et velle; vocatur auxilium, *quo sit, ut faciamus et perseveremus*: per illud Deus miseretur, cuius miseretur; discernit perfecte consentientem a dissentiente; inclinat hominum corda et voluntates, quo vult etc.

381. *Obj. I.* TRID. statuit gratiam *intrinsece* efficacem stare cum libertate creata; ergo efficacia gratiae non est repetenda ab *extrinsecō*, sed ab *intrin-*

seco et ejus entitate vel motione. *Prob.* Illa gratia vel motio juxta TRID. stat cum libertate, que juxta *Calvinum* cum ea non stat, sed eam tollit; quia cum Concilium *Calvino* contradicat, eumque damnet, de eadem gratia intelligi debet: sed gratia intrinsece efficax, seu motio physice prædeterminans juxta *Calvinum* non stat cum libertate, sed eam tollit; quia *Calvino* non venit in mentem, quod gratia entitative indifferens, quam nos admittimus, libertatem tollat; ergo.

*R. N. A. ad prob. R. 1<sup>o</sup>.* Argumentum hoc putidum esse sophisma, patet imprimis, si sic subsumatur: sed gratia *antecedenter necessitans* juxta *Calvinum* non stat cum libertate; ergo juxta TRID. cum libertate stat gratia *antecedenter necessitans*. Patet deinde, si similis forma transferatur ad aliam materiam, qualis est hæc: Illud Verbum juxta Conc. NICENUM est Patri æternō æquale et consubstantiale, quod juxta *Arianos* æquale non est, nec consubstantiale; sed juxta *Arianos* Verbum creatum seu in tempore productum æternō Patri non est æquale et consubstantiale; ergo *Verbum creatum* juxta NICENUM est Patri consubstantiale. Patet denique *invertendo* argumentum pro nostra sententia sine ulla sophismatis fallacia hoc modo: Cum illa motione vel gratia potest juxta TRID. voluntas humana dissensum componere, cum qua juxta *Calvinum* non potest: sed cum gratia efficaci hujus providentiae, et secundum physicam suam entitatem considerata juxta *Calvinum* non potest humana voluntas componere dissensum; ergo juxta TRID. id potest; ergo nulla hujus providentiae gratia efficax est ex vi sua entitatis physicæ efficax vel physice prædeterminans.

*R. 2<sup>o</sup>. D. M.* Illa gratia juxta TRID. stat cum libertate, quæ sub motione gratiæ a TRIDENTINO agnita et approbata, juxta *Calvinum* non stat cum libertate C. quæ sub motione a TRID. vel rejecta vel in dubio relictæ juxta *Calvinum* non stat N. M. Similiter D. m. Gratia intrinsece efficax juxta *Calvinum* non stat cum libertate, et hæc gratia etiam sub nomine intrinsece efficacis, vel sub motione præsertim determinante erat a TRID. agnita et approbata N. erat vel absolute rejecta, vel saltem in dubio relictæ C. m. et N. Cons. Veritas hujus responsionis elucet quasi *a priori* ex TRID., quod, ubicumque gratiæ efficacis cum libertate concordiam inculcat, nunquam gratiæ sive *intrinsece* efficacis sive *prædeterminantis* sub his aut æquivalentibus terminis meminit, sed solum appellat gratiam excitantem et moventem, sub eaque motione eam definit stare cum libertate, eo quod sub eadem motione id fuerit a *Calvino* negatum.

Porro an etiam omnis vel aliqua gratia excitans et movens in præsenti providentia sit *intrinsece efficax* aut *physice prædeterminans*, ut præterea censuit *Calvinus*; et an eadem cum libertate cohæreat, ut *Thomistæ* hac in parte *Calvino* oppositi censem? id certe TRID. verbis expresse omnemque dubitationem excludentibus nec affirmando, nec negando definitivit; quamvis Theologi Catholici suam quisque sententiam illi conformare, aut ex eo deducere conetur, quod licet, et laudem meretur.

*Inst. 1.* TRID. vel loquitur de motione prædeterminante, vel de motione indifferente, vel de motione in genere, prout ab utraque præscindit? 2<sup>um</sup>. dici nequit; quia *Calvinus* minime negavit motionem indifferente posse cum libertate componi: ergo vel 1<sup>um</sup>. vel 3<sup>um</sup>. est asserendum. Sed quodcumque

ex utroque admittatur, sequitur motionem prædeterminantem stare cum libertate; ergo.

*R. D. 1<sup>am</sup>. prop. TRID.* loquitur vel de motione prædeterminante, vel de indifferente sub conceptu *formali* et *explicito*, aut terminis uni vel alteri motioni aperte et indubitate æquivalentibus N. sub ejusmodi conceptu et terminis, ex quibus unam vel alteram significationem Theologi deducere conantur C. Quandoquidem Ecclesia permittit efficaciam gratiæ sive per auxilium intrinsece efficax, sive per auxilium entitative indifferens a Catholicis Theologis explicari, et sub anathematis poena a PAULO V., aliisque Pontificibus prohibitum est, ne quis alterutram sententiam censura theologica notare præsumat; omnino patet, neutram sententiam a TRID. explicite et expresse definitam aut damnatam dici posse adeoque nec Concilium simili forma de una aut altera fuisse locutum. Sicut tamen licitum est Theologis, ut pro sua quisque sententia mentem TRID. conjecturis probabilibus indaget et captare conetur; sic et intellectam ab eodem motionem indifferente dici posse ex prioribus colligimus.

*Inst. 2.* Si TRID. negasset hoc antecedens: *Datur gratia seipsa efficax*; Pelagianos idem pernegantes non damnasset, quod tamen præstitit: si vero approbasset illatum inde ab hereticis hoc consequens: *Ergo tollitur humana libertas*; rem omnino gratam fecisset Luther et Calvin, utpote qui illud tanquam rite illatum admirerunt. Sed Concilium damnavit et Pelagianos, et rem Luther et Calvin gratam sua definitione minime præstitit; ergo nec gratiam a seipsa efficacem dari negavit, nec libertatis ruinam ex illa sequi concessit.

*R. 1<sup>o</sup>. D. 1<sup>am</sup>. p. M.* Non damnasset Pelagianos ob hanc causam, quod negassent illud antecedens. C. non damnasset aliam ob causam N. Pelagianos æque ac Semipelagianos damnatos a TRID. fuisse ob negatam gratiæ interioris necessitatem ad opera salutaria et fidei initium, ex ejusdem Sess. 6. can. 4. 2. et 3. constat. Quamvis vero heretici isti putarent admissa gratia tolli liberum arbitrium, et fatum induci; id tamen non deducebant ex gratiæ natura aut viribus intrinsecis, sed ex ejus tanquam principii ad salutares actus necessario requisita existentia; ut ex eorum primario fundamento manifestum est: quare falsum est utrumque suppositum hujus partis, quod nempe Pelagiani gratiam præcise intrinsece efficacem negaverint, et ideo damnati fuerint; cum potius damnata fuerit 4<sup>o</sup>. Jansenii proposicio, quæ asserit, illos in hoc fuisse hereticos, quod vellent gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

*R. 2<sup>o</sup>. N. supp. et seq. 2. part. M. 1<sup>um</sup>.* quidem; quia non ideo damnati sunt Luther et Calvinus, quod dixerint gratiam intrinsece efficacem non stare cum libertate, aut hujus ruinam ex illa admissa recte inferri: sed quia volebant voluntatem se mere passive habere, moverique a gratia, non qualiter multis seculis traditum et creditum, ut nostræ postea sit electionis monitioni aut obtemperare, aut refragari; sed illam efficaciter afficiendo; quod utrumque can. 4. a TRID. datum est.

2<sup>um</sup>. vero; quia si permittatur Hæreticos hos esse damnatos, quod gratiam prædeterminantem admirerint, Concilium vero concederet, hanc gratiam non stare cum libertate, non sequitur Concilium id concedendo rem fecisse hereticis gratam; cum priore damnatione radicem consequentia, nempe

gratiam *prædeterminantem*, succidisset, et hinc ipsam quoque consequentiam ipsis amatam perdidisset. Cæterum potius theologice contendimus, TRID. anathemate feriens Hæreticorum doctrinam non solum damnasse hoc consequens: ergo tollitur humana voluntas; sed etiam implicite illud antecedens: datur gratia seipsa infallibiliter efficax et physice prædeterminans; eo quod necessaria inter utrumque connexio esse videatur.

*Inst. 3.* Si gratia non est ab intrinseco efficax, sequitur eamdem esse *versatilem* et subjectam libero arbitrio: sed hoc est absonum; ergo.

R. N. *Sequelam.* Versatile duntaxat *proprie* dicitur illud, quod ex se non magis propendet ad unam partem, quam ad alteram, potest tamen ab alio agente vel movente in partes contrarias flecti aut inclinari; qua ratione in *physicis tritones*, seu ventorum indices turribus impositi, in *moralibus* voluntas solent vocari *versatiles*; ejusmodi autem non esse gratiam plane est evidens; tum quia haec natura sua voluntatem determinate ad *bonum* allicit et movet; tum quia voluntas sua libertate facere nequit, ut gratia secum ad *actum malum*, vel omissionem concurrat; quamvis facere possit, ut cum omissione actus boni, ad quem inclinat, et etiam cum actu malo, a quo retrahit, gratia componatur, eo quod necessitatem non inferat: unde multo minus adhuc gratia actualis potest dici *versatilis*; quam supernaturalis habitus.

Deinde etiam distinguendum est inter *gratiam ipsam* et *usum gratiae*: ipsa gratia sive quoad entitatem, sive quoad existentiam non est *subjecta* libero arbitrio, sed soli Deo, qui illam creat, facit hujus vel illius speciei aut intensionis, dat homini, vel negat: *usus tamen gratiae* potest dici relictus in potestate humana, quatenus de fide est, hominem accepta gratia posse consentire vel dissentire; quamvis, cum ipse bonus gratiae usus et consensus non sit a voluntate, nec in potestate ejus, nisi per gratiam elevatae et adjutae, nequeat dici libero arbitrio proprie subjectus.

*Inst. 4.* Sequeretur illam determinari a voluntate, non vero voluntatem ab illa; ergo.

R. N. Falsitas sequelæ constat tum ex dictis, tum ex eo, quod voluntas plane nihil agat in gratiam; gratia vero, licet sit *indifferens* indifferentia negante connexionem infallibilem cum actu, non tamen sit *indifferens* indifferentia affirmante inclinationem ad actum malum æque ac bonum, sed potius sit determinata ad agendum bonum, non quidem absolute, sed tantum *conditionate*, si nimur voluntas cooperetur. Si tamen ulterius queratur, num gratia, an vero voluntas in actione bona ab utroque hoc principio profecta determinet?

Observandum est imprimis, hanc questionem non versari de *determinatione* proprie tali et *physice causali*, aut afficiente ipsam gratiam vel voluntatem; sed de prioritate duntaxat *logica*, causalitate formalis, attemperatione gratiae cum voluntate in ipsa operatione: deinde responderi potest, in hac acceptione *voluntatem* posse dici *determinantem*, non vero gratiam; tum quia voluntas sic cum gratia operatur, ut pro sua libertate antecedenter potuerit non operari: tum quia, ubi effectus idem una indivisibili actione a pluribus causis procedit, ab illa sola dicitur procedere ut determinante, a qua procedit ut *formaliter libere* ipsum afficiente.

*Inst. 5.* Saltem gratia acciperet suam efficaciam ab extrinseco, maxime

a voluntate vel consensu: sed hoc tum rationi, tum auctorati repugnat; ergo.

R. N. Nullitas sequelæ ostenditur ex iis, quæ in gratia distinguere oportet. Nam vis seu *virtus effectiva* causaliter est a solo Deo, formaliter ab ipsa gratia, sub nulla vero consideratione a voluntate: *actio ipsa gratiae* inadæquate sumpta rursus est a sola gratia; adæquate sumpta est quidem etiam a voluntate, ita tamen, ut nullus influxus in gratiam, sed duntaxat in effectum a gratia simul et voluntate productum intelligatur: *infallibilitas* denique connexionis, quamvis a veritate et futuritione conditionata, et sic etiam a voluntate aliquomodo habeatur, tamen perficitur per purificationem conditionis et positionem auxili, quæ unice a Deo, nullatenus a voluntate creata dependet. Accedit, quod sensus adversariorum sit, gratiam suas vires et operandi virtutem accipere ab *extrinseco* seu voluntate; quod falsum omnino esse ostendimus.

*Inst. 6.* Gratia ex sua entitate est *causa* consensus: sed causa debet ex sua entitate esse efficax; ergo gratia ex sua entitate debet esse efficax, consequenter ab intrinseco.

R. D. M. Gratia ex sua entitate est *causa* necessaria et infallibilis N. contingens et fallibilis C. similiter D. m. Causa ex sua entitate necessaria debet etiam ex sua entitate esse efficax C. Causa contingens et fallibilis Subd. debet ex sua entitate esse efficax, h. e. habere vim et virtutem efficiendi C. h. e. habere necessariam vel infallibilem connexionem cum effectu N.

*Inst. 7.* Gratia in statu conditionato est efficax *antecedenter* ad scientiam medium et prædefinitionem, utpote quæ futurum consensum supponunt: Item si eadem gratia, quæ nunc ut substans futuritioni scientie ac prædefinitioni dicitur efficax, daretur sine his formis et terminis, nihilominus foret efficax, eliceretque consensum; ergo debet esse efficax ab intrinseco.

R. Quod 1<sup>um</sup>. D. A. Gratia in statu conditionato antecedenter ad scientiam medium jam est efficax in actu primo N. in actu secundo T. Gratia efficax in actu primo est gratia infallibiliter habitura consensum: sed si sumatur in statu conditionato antecedenter ad scientiam medium ejusque objectum seu futuritionem, nec habet infallibilitatem ex sua *entitate*, utpote quæ est *indifferens*; nec ex *complexo* entitatis sive cum scientia media, sive cum scientiae mediae objecto, seu futuritione; utpote ante quod complexum gratia concipitur; ergo. Est itaque tantum efficax in actu secundo, et quidem mere contingenter et *fallibiliter*: quia proprie non est, sed tantum foret efficax; quia esset consensum voluntatis libere ac contingenter obtentura, si a Deo daretur; unde et hanc partem transmisimus.

Quod 2<sup>um</sup>. similiter D. Nihilominus foret efficax in actu primo N. in actu secundo Subd. efficacia late dicta, materiali et philosophica C. speciali, formalis et theologica N. Ad postremam efficaciam non sufficit, re ipsa quomodocumque poni effectum, sed poni a causa, quæ in *actu primo* dicit infallibilem connexionem ad effectum; sicut ad efficaciam causæ per se non sufficit effectum poni per accidens.

382. Obj. II. Forma *discretionis* inter consentientem et dissentientem non potest esse communis; quia S. Aug. L. de præd. Sanct. c. 5. n. 10. querit: *Numquid per haec dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discer-*